

esse statuit, ut non solum cognoscatur, sed etiam efficiantur. Atque sic constituit duo summa disciplinarum genera, videlicet theoreticas & practicas; ubi sub practicis, late accepto vocabulo, comprehendimus poeticas. Sicut igitur antecessus canon docuit inventionem singulorum preceptorum: ita hic docet inventionem limitum & finium, quibus continentur illa precepta. Hos limites vocamus potestatem, secuti Rogerium Baconem Anglum, qui scripsit de potestate mathematica, item physica &c. Sic vocat ipsas scientias. Philosophi igitur potestas, quam in rebus invenit, est alia theoretica, alia practica. Cum dato canone illud philosophi 3. de anim. cont. 38. convenit: *τέμνειται γὰρ ἡ ἐπιστήμη ὡς τὰ πρᾶγματα*. Cum igitur *τὰ πρᾶγματα* sint vel θεωρητὰ, vel πρακτὰ, etiam potestas philosophi duplex erit, videlicet contemplandi & operandi.

*Cap. 2. Leges methodi doctrinae.*

**M**ethodus doctrinae est methodus faciliori rerum doctrinae inserviens. *Alio nomine dicitur methodus didascalica.*

Estque alia perfecta, alia imperfecta.

Illa dicitur acroamatica, exquisita, & sapientiae: ista exotérica, popularis, & prudentiae. Keckermannus vocat illam artificialem, istam inartificialem: alii illam necessariam, istam arbitrariam appellant.

Methodus perfecta est, quae juxta rerum naturam, & artis Logicæ normam dirigit tractationem.

Ejus occurrunt tum leges, tum divisio seu species.

Leges methodi acroamaticæ.

Leges methodi sunt, quae inter varias res doctrinae gratiam propositas ordinem moderantur.

Duo sunt in disciplinis, & quavis legitima tractatione videlicet res, & ordo rerum. Leges, quae moderantur ipsas res, sunt axiomaticæ, nimirum illae, quae docent discernere necessaria à contingentibus, & quae docent tres necessitatis gradus, videlicet *κατὰ παντός, κατ' αὐτό, & κατ' ὅλα πρῶτον*; de quibus supra, *lib. 6. c. 3.* Ordinem rerum moderantur leges methodicæ. Vulgus Logicorum quorundam tres duntaxat leges axiomaticæ

axiomaticæ